

/ Clarissime Domine, Litterae tuae scriptae a te mense Decembri proxime praeterito, redditae mihi sunt mense Maio pene exacto. Ea causa est, cur tu quoque serius literas meas accipias, quam tu, et ego voluissemus. Egi continuo cum Sanctissimo patre Nostro, eique
5 significavi jacturam quam nuper fecisti non solum filii, sed etiam annuae pensionis, quam sanctae memoriae Clemens octavus in illum contulerat. In memoriam quoque Sanctitatis suae revocavi promerita tua, et fructum ingentem, quem in conversione haereticorum in istis partibus fecisti; addidi etiam quam multa temporalia bona dimiseris, vel
10 amiseris, quando ad fidem catholicam singulari Dei vocatione conversus fuisti. Denique Pontificem rogavi, ut nova pensione, aut beneficio aliquo filium aliquem tuum cohonestare velit. Respondit Pontifex, se non a me solo, sed ab aliis etiam de hac re admonitum fuisse, et cogitaturum, quid fieri possit, ut petitioni tuae satis fiat. Equi
15 dem video, bonam esse in sanctissimo Patre ad te et tuos juvandos voluntatem; sed tanta est in hac re difficultas ob innumerabilem peccantium multitudinem, ob locorum distantiam, atque alia id genus impedimenta, ut non audeam aliquid certi polliceri, nisi post longa tempora. Et mihi credas velim, quia longa experientia me docuit. Habeo enim multos mihi commendatos ex Belgio, et vix unum, aut alterum
20 in tot annis juvare potui. Illud unum me consolatur, quod bonus Dominus noster nunquam deseret sperantes in se, et te unum esse ex bene sperantibus in Deum nunquam dubitavi. Vale vir optime, et me apud Deum precibus tuis juva. Et si quid hic à me fieri voles, significa
25 quid illud sit, et quo modo fieri debeat, aut possit; et me unum ex amicis tuis veris, ac sinceris omnino experieris. Datum Romae, die 7 junii 1616.

Clariss/o ac Doctiss/o Viro D'no Justo Baronio Ill/mi et R/mi Arch. Moguntini Consiliarii. Aschaffenburgum.